

2^o Professio cujuscumque religionis est licita, et quaecumque Ecclesia potest leges et regulas edere ad sui et suorum regimen. Ecclesia Catholica Romana habet suum jus canonicum et sua dogmata, et Status non potest intervenire ut aliquid immutet;

3^o Status debet videre ut auctoritas religiosa libere exerceatur et protegatur;

4^o Sancta sedes nominat episcopos quin habeat prævium assensum Status civilis; episcopi libere communicant cum Sancta Sede, promulgant decreta Sedis Apostolicæ et sua, in rebus religiosis, absque ullo impedimento ex parte Status civilis; episcopus solus nominat ad parochias, parochos revocat ad nutum, erigit missiones et parochias canonicas, concedit dispensationes matrimoniales inter catholicos.

37. Omnes vident quantum distet constitutio civilis hujus regionis a principiis quæ luculentissime exposuit Leo XIII, in suis litteris encyclicis "Immortale Dei opus", 1 Nov. 1885, circa christianam constitutionem statuum. In memorabili instructione Summi Pontificis referuntur et evolvuntur sequentia principia:

1^o Nemini licet sua adversus Deum officia negligere, et officium maximum est amplecti et animo et moribus religionem, non quam quisque maluerit sed quam Deus jusserit.

2^o Ipsa societas, qua talis, debet Deo cultum publicum exhibere, eo modo quo Deus ipse demonstravit velle se coli; "sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in præcipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidquam instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati contrarium";

3^o Utraque societas religiosa et civilis est perfecta et independens in suo genere; "unde aliquis velut orbis circum-